



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

§. 1. A pluribus variam vtilitatem esse capiendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

## CAPVT IV.

*An in iis quos ad sanctitatem imitamur, imitanda sint omnia.**§. 1. A pluribus variam utilitatem esse capiendam.*

**V**T id quod proximè attigimus primum resumam, commendatissimū proficere cupienti esse debet, vt ex omnium quorumcumque hominum conuersatione utilitatem capiat: quanto ergo magis, quod nunc agimus, ex conuictu, familiaritate, aut saltem contuitu Sanctorum? Sanctos nunc eos intelligo, quos vitam probam, & virtutibus bellè instructam, viuere videmus, ideoque nos alliciunt, vt benè agendo mores eisdem referre possimus: quorum in Religiosis beneque constitutis familijs, magna est copia, cum nemo in illis viuat, qui ad absolutam consummatamque virtutem, pro virium suarum modulo non contendat.

In hac optimorum virorum multitudine viuenti, nemo contemnendus, notanda bona singulorum, & in nos deriuanda quæ fuerint optima: quam in rem S. Antonij nobis refert præclarissimam doctrinam Callianus. *Vetus est, inquit, Lib. 5. c. 4. B. Antonij admirabilisq; sententia; — monachum spiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere vnamquamque virtutem, ab his qui eam familiaritè possident, deslorare, & in sui pectoris vase recondere, nec quid minus aliquis habeat discutere, sed hoc tantùm, quid virtutis habeat contemplari, studiosèq; decerpere.* Docuerat paulò antè, ab vno discretionis, ab alio patientiæ, humilitatis ab alio, ab alio continentiæ, aut simplicitatis, aut alterius virtutis exempla sumenda: vix autem, aut numquam, in vno & eodem omnia pariter posse reperiri. Quæ nequaquam diuersa sunt ab eo quod diximus, vnicum imitationi nostræ propositum esse debere: nam & S. Antonius de illo loquitur, qui discretionem abundans, quid sibi ad imitandum sumendum sit, quid omittendum intelligat, aliudq; est flosculos virtutum varios, & ex pluribus minutula multa decerpere, quod vile factu esse nemo negat: aliud totius vitæ, ritè & ex perfectione traducenda, sibi exemplar effingere, quod non minus vnum, quàm vnam in corpore animam esse debere affirmamus.

*§. 2. Quenam in imitatione sint cauenda.*

At in hac imitatione plurium cauenda sunt nonnulla, atque illud in primis, vt ne crediderimus, perfectum esse id omne, quod à viro perfecto proficisci videmus: nemo enim in hac vita numeris omnibus ita existit absolutus, quin alicuè de in nonnullū defectum impingat: solus fuit D. N. Iesus Christus, & Beatissima

cior